

1. aut ut in 2. vesp. festi cum commemor. dominicae in Sexag. aut erunt de psalterio a cap. de dom. cum commemor. diei octavae ut in primis festi et quid si dies octava habeat orationem propriam? S. C. resp.: Secundas vesp. festi fieri debere cum commemor. dom. Sexag. et in die octava esse recitandam orationem propriam ejusdem octavae. n. 4055 ad 1 die 15. Septbr. 1736.

Qualitas festivitatis non est ratio, quod vesp. sint integrae de tali festo, nisi hoc festum fruatur simul qualitate vel majori dignitatis vel ritus. n. 4119 ad 3. die 2. Sept. 1741.

*Ad dubium:* In Dioecesi Albensi plura fiunt Officia de Passione vel de Mysteriis vel de Instrumentis Passionis D. N. J. Ch., veluti sacratissimae spineae Coronae, Orationis in monte Oliveti, Commemorationis Passionis, pretiosissimi Sanguinis, sacratissimae Crucis, Insignis Miraculi SS. Sacramenti, sacratissimi Cordis Jesu etc. Non raro autem hujusmodi Officia inter se concurrunt in Vesperis et quoniam regula liturgica est, ut *numquam idem de eodem in eodem Officio fiat Officium et Commemoratio*, hinc quaeritur 1: num quoties duo ex praedictis Officiis concurrunt in paritate ritus, Vesperae integrae debeant esse de praecedenti, nihil de sequenti sed si sequens potioris ritus fuerit, Vesperae integrae debeant esse de sequenti, nil de praecedenti, non secus ac faciendum docuit S. R. C. in concurrentia duorum Officiorum de Passione Domini aut de eadem B. M. V. in Barchionen. die 11. Apr. 1840 ad 7. et Ordinis Minorum Reformatorem die 16. Mart. 1779 ad 12. Quaeritur 2: an in occurso vel concursu praedictorum Officiorum infra Octavam vel cum die octava alicujus ex iisdem Officiis, quod fiat cum Octava (ut in hac Ditione Pedemontana Officium Sacratissimae Sindonis fit ritu dupl.

I. Cl. cum Octava) omitti debeat Commemoratio de die infra talem Octavam vel diei infra hujusmodi Octavam? Quaeritur 3: an idipsum servandum sit, ut in praecedenti quaestione secunda, etiam in concursu aut occurso alicujus ex enunciatis Officiis cum aliis Festis Domini aut infra Octavas eorundem, puta Ascensionis, Transfigurationis Domini, SS. Corp. Chr.? Quaeritur 4: an in concursu diei octavae alicujus ex enunciatis Officiis cum aliquo Officio alicujus Sancti ritu dupl. min. veluti diei octavae sacratissimae Sindonis cum Officio s. Antonini modo ritu dupl. min., vesp. debeant fieri a capitulo vel potius integrae de die octava sacratissimae Sindonis utpote dignioris, et cum sola commemoratione s. Antonini? Quaeritur 5: num in concursu diei Octavae SS. Corp. Chr. cum I. Vesperis Sacratissimi Cordis Jesu ritu dupl. I. Cl. omitti debeat commemoratio SS. Corp. Chr.?

S. C. rescribendum censuit

Quoad quaest. 1: Affirmative.

Quoad quaest. 2: Negative.

Quoad quaest. 3: Affirm.

Quoad quaest. 4: Vesperas recitandas de die octava cum commemor. tantum sequentis.

Quoad quaest. 5: Affirmative.

N. 5223. ad 3 die 16. Febr. 1856

Vd.: p. 741. decr. n. 4878.

### 25) Ritus.

a) Acolythorum accessus ad orationes.

Vd.: *Vesp. ritus*, (Orationes.)

b) Acolythorum genuflexio cor. SS. Sacr.

*Ad dub.*: Utrum in Vesperis coram SS. Sacramento celebratis Acolythi accedentes ad altare, ut accipiant sua

candelabras, vel ab eo revertentes, debeant ante SS. Sacramentum expositum utrumque genuflectere vel unicum?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2196.)

c) Acolythorum Genufl. cor. non exp. SSmo.

*Ad dub.*: In Vesperis solemnibus Acolythi accedentes ad Altare ut sua candelabra sumant, debent quidem genuflectere, sed quaeritur: utrum tunc quando ab altari, recedant, ut adeant Hebdomadarium, genuflexio ab ipsis candelabra gestantibus iterum facienda sit in hoc recessu, similiter: utrum quando cantato capitulo iterum accedunt ab altari ab ipsis Acolythis in accessu genuflectendum sit sive antequam sive postquam deposuerint sua candelabra?

S. C. resp.: Acolythos genuflectere tantum debere in transitu ante medium altaris.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2194.)

d) Benedicamus.

Oratione (vel Orationibus) finita duo ex ultimis presbyteris paratis accedunt ad medium chori ad altare versi et ibi voce altiori cantant: Bened.: D. et redeunt ad Celebrantem.

(Caer. Ep. I. II. c. III. n. 15.)

e) Locus Celebrantis.

*Ad dub.*: An Sacerdos cantans vesp. debeat incipere: *Deus in adjut.* etc. in medio ante altare an vero in presbyterio in sede, ubi sedere consuevit ad cornu Epistolae et an ipsemet debeat intonare primam antiphonam, hymnum et antiphonam ad Magnif. et an pariter debeat orationem cantare stans in eodem loco?

S. C. resp.: Servanda est forma caeremon. I. 2. c. 3.

Die 19. Maii 1607.

*Caeremon. dicit:* Juxta sedem in presbyterio sacerdos cantans vesp. debet intonare: *Deus* etc., primam antiph., hymnum et antiphon. ad Magnif. et cantare orationem.

f) Magnificat a celebrante etc. dicendumne est?

*Ad dubium:* Utrum in Vesperis solemnibus hebdomadarius thurificans altare debeat interim recitare Canticum: Magnificat anima mea Dominum, alternatim cum duobus assistentibus, prout moris est in pluribus Ecclesiis, quamvis Caeremoniale Episcoporum prorsus sileat de hoc ritu, vel celebrans nihil dicens hanc thurificationem peragere debeat sicut fit in aliis Ecclesiis?

S. C. resp.: Laudandum usum recitandi in vesp. canticum „Magnificat“ in thurificatione altaris.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 pag. 2195.)

g) Orationes modus dicendi.

Cum per chorum repetitur Antiphona Cantici *Magnificat*. . . . Caeremoniarius medius inter duos Acolythos ceroferrarios eos cum debitis reverentiis ducit ad Episcopum. Oratione finita, dum repetit *Dom. vob.*, Caeremonarius cum ceroferrariis factis debitis reverentiis redeunt ad altare et in suo loco reponunt candelabra. *Caer. Ep. I. II. c. I. n. 17.*

Finito Cantico et repetita per chorum antiphona Celebrans (canonicus) cantat Orationem stans versus altare a latere epistolae duobus Acolythis ceroferrariis candelabra cum cereis accensis afferentibus et alio inter illos medio librum tenente. *Caer. Ep. I. II. c. II. n. 10; c. III. n. 10.*

Vd.: *Te Deum*. (Oratio).

Dicto: *Pater noster etc.* (in *Vesp. Def.*) duo Acolythes ceroferrarii accedunt ante Episcopum cum candelabris et cereis accensis ex cera communi et inter eos erit medius cappellanus de libro serviens . . .

Dum repetitur Antiphona (ad *Bened. in laud. Def.*) accedunt duo Ceroferrarii cum Capellano librum tenente ante Episcopum. *Si autem Episcopus Off. (Def.) faciet in sua sede Pontificali, tunc ad preces descendit ad salsistorium et ad Orationem tunc non erunt necessarii Acolythes. Caer. Ep. I. II. c. X. n. 4. 7. 8.*

Vd.: *Orationes* (Acolythes).

#### 26) Sabb. Sancti.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. n. 4641 nota p. 660.)

#### 27) Tempus recitandi.

Vd.: p. 744 n. 22 et 23.

*Ad dub.*: In die Nativitatis Domini et in die Paschatis Resurrectionis immediate post peractum Officium matutinale et ante prandium canonicis licet necne recitare vespere et completorium ratione lautioris prandii protrahendi illis in diebus?

*Resp.*: Vesperae et completorium, uti ex ipso nomine colligitur, tam publice quam privatim regulariter hora vespertina, id est post meridiem recitanda sunt, solis exceptis quadragesimalibus feriis, in quibus vespere tantum dicuntur immediate post nonam et missam conventualem de feria, ad retinendam antiquitatis memoriam, qua fideles diebus jejunii non nisi post peractum totum officium ab ecclesia discedebant. Hac de causa in Breviario ante vespere feriae IV. Cinerum legitur haec rubrica: Hodie et duobus sequentibus diebus dicuntur vespere hora consueta: sabbato vero et deinceps usque ad Pascha dicuntur ante comestionem tam in festis quam in feriis,

in quibus dicuntur hora consueta. Dixi: *regulariter*, quia privata recitatio ex speciali indulto concedi solet ante meridiem missionariis apostolicis, publica vero, scilicet quae in choro celebratur, aliquando permittitur legitima causa interveniente ab Episcopo recognita, uti ex. gr. esset processio solennis pro publico bono indicta, ad quam accedere tenentur tam religiosae familiae quam clerus saecularis collegiarum et cathedralis, ita, ut desit tempus aut etiam maximi sit incommodi vespere habendi post meridiem et hora consueta. Ast quis unquam dicere audebit legitimam exhibere causam anticipandi vespere de mane lautiores comestionem, quae diebus solemnibus flexo in vesperam die protrahi solet; praesertim in festis Nativitatis et Resurrectionis, in quibus vespere solemnnes in Ecclesiis cantandae sunt et in Cathedralibus decet ut ipse episcopus eas persolvat ad formam caeremonialis lib. 2. cap. 1. num. 3. ubi dicitur: Secundae vespere poterunt etiam per episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in dominica Resurrectionis et in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Quisque igitur videt quam incongrua sit haec petitio? S. C. resp.: Negative et abusus, si adest, penitus eliminetur.

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863, 2248.)

#### Romana.

Moniales S. Mariae in Campo Martio supplicarunt pro facultate recitandi vespere ante prandium in choro et deinde cantandi in vigilia S. Benedicti. S. C. resp.: *Lectum.*

Die 13. Februarii 1666.

(Anal. J. P. 1865 p. 1145 n. 1793.)

#### Placentina Hispaniarum.

Supplicavit capitulum cathedr. com-

mutari horam recitandi vespere aestivo tempore ob immensos calores, qui retrahebant fideles ad interessendum circa horam nonam.

S. C. resp.: Affirmative.

Die 15. Julii 1634.

(Anal. J. P. 1863 p. 259.)

Vd.: *Chorus* (tempus).

#### Sarnen.

(Mane recitandae in choro.)

Sarnensis Ecclesiae Canonici referunt, Cathedralium illam Aedem eo loci sitam esse, ut non nisi longa, deterrima, aestuosa et pulverulenta via ad eam pateat accessus. Hinc aestivis praesertim temporibus convenire illuc ad Vesperarum officium ac procedere idcirco maximis caloribus in solem et pulverem nedum pergrave incommodum gignit sed et valetudini maxime infestum est morbosque ut plurimum appropereat. Supplices itaque postulant, ut quatuor mensibus Junio, Julio, Augusto, Septembri facultas sibi decernatur, ut vespertinas horas mane possint recitare, per impossibilitatem di potersi giornalmente dopo il mezzo giorno portare alla Chiesa, onde sequirebbe il disordine di vedersi diminuito in una maniera significante il servizio del Coro.

Veritati inniti preces testatur luculenter Episcopus: „Incomodo non leggiero (inquit) si soffre per portarsi nelle ore pomeridiane al servizio del Coro, che comincia alle ore ventuna, e per dovere camminare per lungo tratto di strada in luoghi scoperti, sassosi, ed erti, sempre sotto i raggi del sole; al che dee aggiungersi l'aria malsana die Sarno, che agli istessi naturali produce delle febre terzanarie. La massima distanza, subdit ipse, ascendente a poco piu di un miglio, la minima e poco meno di tre quarti di miglio.“

Quatuordecim sint Canonici praeter

octo Beneficiarios seu Hebdomadarios. Choralia officia alternis hebdomadibus pars illorum media ex cathedralium instituto rite obeunt; festis tamen diebus et adventus ac quadragesimae tempore nec non per octavas digniores omnibus onus est convenire praesertim ad Sacrum solemne et ad Vespere.

Ducata centum octoginta plus minus percipiunt singulae quatuor Dignitates Praebendae canonicales reliquae e centum Ducatis ad centum quadraginta aestimari possunt: carent vero quotidianis distributionibus. Exstant bini ex Canonicis qui possuntur censu ducatorum septuaginta duntaxat.

Haec de Collegii statu narrat Episcopus: illud vero maxime notatu dignum est, justam adeo ac veram esse causam, qua expetitam Vesperarum recitationem horis matutinis praeverti postulant, ut superiori saeculo Franciscus Novellius Sarnensium Episcopus postulationi hujusmodi, quam alias ex more editam in libello asserebant Canonici, libere, uti consueverat, annuerit, dato de ea re in haec verba rescripto die 24. Maji 1747. „Dispensamus cum Oratoribus Canonicis pro vespere et completorio de mane diebus ferialibus tantum, per totum mensem Septembris servata forma soliti.“ Id et recentiori tempore datum ab Episcopo pro uno tantum mense dicunt Oratores, ita tamen ut apostolicum privilegium exquirendum mandarit. Hisce enarratis ea se in sententia esse declarat Episcopus, ut a primo mensis Junii die ad integrum mensem Septembris statuta pro vespere hora sit vigesima prima cum dimidio: a die vero primo Julii ad decimum Augusti, quo tempore aestus vehementius invalescit, permissum sit, vespere cum Completorio ante prandium recitari ferialibus diebus, ad eccezione delle feste di doppio precetto.

Fuit quidem vel a primis temporibus sancta Ecclesiae institutio tempora diei ita piis officiis partita haberi, ut praeter illa spatia, quae aut necessariae quieti aut muneribus vitae debitis interjiciuntur, dies noctesque statis quibusdam horis in divinis laudibus Clericorum coetus versarentur. Hinc distributa horarum intervalla ac discrimina, quibus singulis hymni, preces et psalmi cuique apti tempori mysterioque adscripti sunt. Ex benignitate tamen Ecclesiae praecipua nunc horarum distributio inter matutinas et vespertinas animadvertitur. Quare id etiam contendere, ut vespertinae horae ipso mane recitentur, absonum nimis ab Ecclesiae institutis videtur. Datum quidem haud raro est, quando praesertim vehementius in hieme frigus aut coeli infesti gravitas aut justae aliae causae intercedunt, ut vespere post completorium Matutinum recitetur, idque saepe a sacro hoc Ordine concessum est. Bened. XIV. Inst. 107. num. 20., *Braschius* in Prompt. Synod. cap. 86. num. 18. S. C. C. Abulen. 23. Junii 1790.

At praeverti ante meridiem vespertinas horas nimium ab Ecclesiae consiliis in officiorum tempore definiendo abhorre visum est. Sacris enim Ecclesiae praescriptionibus sancita est facultas recitandi superiori die post prandium Matutinum cum laudibus; ac proinde facilius, quod privatim peragi officium potest, id et de publica precatone permittitur.

Nihil tamen secius adsunt et de petita per Sarnenses Canonicos concessione nonnulla exempla; ac prae ceteris commemorandum est rescriptum a Benedicto XIV. editum anno 1744, quo Collegio Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Anconitanae permissum est, Vesperas cum completorio recitari horis matutinis tempore hyemali a die se-

cundo Novembris ad dominicam Palmarum exceptis diebus festis, *Syn. Ancon. Card. Bufalini* lib. 1, tit. 2 et in app. par. 2. n. 4. §. 28. Probe enim noverat providentissimus ille Pontifex, qui Ecclesiae Anconitanae praefuerat, quo labore ascensus pateret ad sacram illam Aedem, quae in summo monte est. Sacer autem hic Ordo superiori anno, habita inprimis ratione perexigui Canonicorum numeri, qui ex Collegiarum infirmitate superant, necnon asperioris loci naturae, eadem facultatem Sarnensi Collegiatae s. Matthaei ad quinquennium, nisi prius numerus Canonicorum augetur concessit. S. C. C. Sarnen. 24. Mart. 1832.

Verum pro Sarnensis Capituli petitione perpendendum est, aliquid jam eidem olim datum fuisse ab Episcopis, licet nulla, quod constet, ipsis tributa in eam rem facultas esset ab Apostolica Sede. Animadvertant EE. PP. an ex Episcopi voto annuendum precibus sit.

Dubium:

*An et quomodo Capituli Cathedralis Ecclesiae Sarnensis concedendum sit indultum recitandi mane Vesperas cum Completorio mensibus aestivis in casu?*

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 30. Mart. et 25. Maii 1833.

## VESTES.

### 1) Ecclesiasticae.

#### a) Materia.

Vd.: *Paramenta* (materia); *Supellectilia*.

Eminentissimi et reverendissimi Patres.

Sapientissimo judicio Vestro haud levis momenti proponitur quaestio, quae

novitatem in sacris ritibus inducendam respicit. Paucis abhinc annis mos invaluit in Galliis telas sericas vitreas texendi, quibus vestes ecclesiasticae sacrificio Missae aliisque divinis officiis inservientes conficiuntur. Ex nonnullis planetis Romam dono missis viris distinctissimis dignoscitur texturam seu ut ajunt l'orditura ex gossipio aut simili materia solida compositam esse, cui superimposita sunt filamenta serica et vitrea lucidissima, quae aurea dixisses si ex vitro lux auro simillima produci posset; vitrum autem in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eo pacto, quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis aureis vel argenteis a peritis artis textoriae lama d'oro, e d'argento nuncupatis vel etiam admodum operis phrygii disponuntur juxta proprium vocabulum di proccato. Ars hujus inventionis consistit in cognitione rationis, qua filamenta vitrea inserantur, quae facile in minutissima frustula rediguntur: quod ingeniosus auctor nondum patefecit.

Hisce pro dubii explanatione praemissis in ejusdem solutione juvabit imprimis cognoscere quid leges ecclesiasticae super materia sacrarum vestium praescribant.

Rubricae generales Missalis Romani tit.: *Ritus servandus in celebratione Missae cap. 1.* de praeparatione Sacerdotis celebraturi num. 2. advertunt, quod paramenta ipsa non debent esse lacera aut scissa sed integra ac decenter munda ac pulchra. Requiritur itaque ab allato textu decentia in sacris vestibus, quae Missae inserviunt: sicut etiam eruitur ex *can. Vestimenta de consecratione dist. 2.*: Vestimenta ecclesiastica quibus Domino ministratur et sacrata esse debent et honesta, quibus aliis in usibus non debent frui quam in ecclesiasticis et Deo dignis

officiis. Quam sententiam sequuntur Scriptores ecclesiastici, qui unanimiter sentiunt in sacris vestibus decentiam requiri ac propterea tenent quod quo magis materia ista pretiosior fuerit et decentior eo erit Deo gratior ac ipsius Ecclesiae menti conformior tamquam correspondens venerationi debitae augustissimo Sacramento. Hinc necesse erit inquirere utrum ob stabilitatis defectum, vilitatem ornatus et rei novitatem hujusmodi vestes ecclesiastico cultui convenient.

In texturis vitreis stabilitatem non reperiri probatissima res est, quia vitrum ad subtilitatem redactum est fragilissimum ac praeterea secat quamlibet leviolem materiam, quae ipsum pertingat. Praeterea si telae praedictae pluentur contra ordinem ejusmodi texturae, filamenta vitrea in minutissima frustula facile confringuntur, sericum scindunt, a textura dividuntur et in calicem et corporale prosiliunt. Potest etiam evenire, quod Celebrans redeat ab Altare cum planeta omni ornatu carente, immo etiam deformi ob filamenta quae pendere possunt a locis ubi vitrum insertum erat, nam in texturis admodum phrygii operis ita filamenta vitrea ordinata sunt, ut unum ab altero sustentetur ac propterea si decidat filamentum, a quo reliqua sustententur, deperit illico forma ornatus, florum, crucis aut similis rei vitro elaboratae nihilque remanet nisi filamentorum acervum: ex qua laceratione vestes sacrae ad quodlibet officium ineptae reddantur. Ut itaque videtur periculum, quod particulae vitri cadant in calicem aut corporale, et quod post breve tempus vestes sacrae deformes appareant, hujusmodi textura ab officiis divino cultui deputatis excludenda erit, habita quoque ratione ad vilitatem materiae ipsius, quae opponitur praxi et usui omnium eccle-